

115. II. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur: at infantes baptizati credunt, teste Servatore Matth. 18, 6. Si credunt, utique etiam sunt regenerati.

116. III. Quorumcunque est regnum caelorum, iudem, quin regenerati sint, fieri nequit. Ioh. 3. 5. At infantum baptizatorum est regnum caelorum: ita ut si vel eo ipso, quo baptizantur momento, in vivis esse desinant, salute ipsorum nihil possit esse certius. Mar. 10, 14. Ergo quin per baptismum regenerentur, fieri nequit.

117. IV. Et quid multis opus est: Edisserant Sacramentarij, cum totum genus humanum constet ex credentibus & incredulis: neque tertium dari queat: ad quemnam coetum infantes baptizatos pertinere existiment. Haud opinor ad incredulorum tribum, & proinde damnatorum locum eos per inauditam crudelitatem relegabunt. Ergo, in credentium numero censuq; erunt habendi, secundum gravissimam assertionem Servatoris. Matth. 18, 6.

118. Porro si ad credentium coetum pertinent, uti certe pertinent: edicant nobis, unde fides hac illis obtigerit? non certe ex carnali nativitate: Nam quicquid ex carne natum, caro est. Ioh. 3, 6. Non ex fidelium parentum sanctitate & fide: siquidem de baptizato fidei, cui remissa sunt omnia peccata, non nascitur sanctus: quia non eum generat, unde regeneratus est.